

postquam recuperata fuerint, donec de Episcopo inibi provisum fuerit, existeret (1) retinenda tibi de benignitate Apostolica concedere dignaremur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati præfata bona occupata, postquam per te recuperata fuerint, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis tuo Archidiaconatui ejusdem Ecclesiæ Alexandriæ usque ad Sedis Apostolicæ beneplacitum applicamus. Nulli ergo ec. hanc paginam ec. Dat. Avenion. VI. calendas maii A. V.

Ex registro lit. Apost. Joan. Papæ XXII. A. V. parte 2. Epistola 1256. (1) Forte ex interim.

Aliæ ejusdem Episcopis Vercel., & Terd. pro recuperatione bonorum Eccl. Alexandrinæ.

279

MCCCXXI.

Venerabilibus fratribus Vercellensibus, & Terdonensibus Episcopis, ac Milano de Modio Canonico Bononiensi salutem ecc. Cum nos bona 20 immobilia Ecclesiæ Alexandrinæ, quæ tam per commune civitatis Alexandriæ, quam singulares personas ejusdem communis occupata detinentur, ad quorum recuperationem dilectus filius Oddo Guasco Archidiaconus Alexandrinus intendit efficaciter per se, & suos interponere partes suas, postquam per ipsum recuperata fuerint Archidiaconatui suo Alexandrino per nostras sub certa forma literas auctoritate Apostolica duximus applicanda, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos 30 vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alias cum super hoc ab eodem Archidiacono fueritis requisiti, faciatis eidem Archidiacono, vel procuratori suo ejus nomine de dictis communi, & singularibus personis ipsius communis bona detinentibus supradicta de plano, & sine strepitu, & figura judicii justitiæ complementum, facientes quod decreveritis per censuram Ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellatis veritati testimonium perhibere. 40 Non obstante ec. de una, & duabus dietis, & aliis constitutionibus contrariis quibuscumque, etsi communi, & personis eisdem, & quibuscumque aliis personis communiter, vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari, aut interdici nequeant, vel suspendi per literas Apostolicas, quæ de indulto hujusmodi plenam, & expressam non fecerint mentionem. Datum ut supra ec.

Locatio bonorum Eccl. Aq. in Cavatorio ejus Sindico facta.

280

MCCCXXIV.

Hoc est exemplum cujusdam instrumenti, cujus tenor talis est. In nomine Domini amen. Anno Nativitatis ejusdem MCCCXXIV., indictione VII., die XIII. decembris in castro Cavatorii præsentibus Stephano Johanne Castellano Cavatorii, Manuele de Lovini (1), Facino Scuto, & Petro Oddono ad 60 hoc vocatis testibus, & rogatis N. P. D. Oddonus Dei gratia Aquensis Episcopus considerans, & attendens infra scriptam concessionem, & datio-

nem in emphiteusim fore utilem, necessariam, expeditamque sibi, & mensæ suæ Episcopali, nec non & Ecclesiæ Aquensi, idcirco tractatu solemniter, & deliberatione diligenti præhabitis, & vice ordinaria potestatis sibi competentis, & omni jure modo, & forma, quibus melius potest suo, & mensæ Episcopalis, & Ecclesiæ suæ nomine, nec non & successorum suorum dedit, locavit, & titulo locationis concessit Johanni Mariæ Moræ, cui dicitur 10 Cerrutus sindico communitatis, & hominum de Cavatorio, de cujus sindicatu patet publicum instrumentum manu mei notarii infra scripti confectum hoc eodem anno, mense, & die (2), recipienti, & stipulanti sindicario nomine dicti communis, & hominum, & singulorum de dicto communi, cujuscumque conditionis, & status existant, ad utendum, fruendum, percipiendum, godiendum, & omne velle ipsius communitatis, & hominum, & personarum ejusdem loci faciendum pro certo, & infra scripto adfectu, & reditu singulis annis ut 20 infra. Ipsi Domino Episcopo, & ipsi mensæ Episcopali, ac successoribus suis reddendo omnes conditiones directus, & fictus, & fodrum, quibus commune Cavatorii, & singulares personæ dicti communis tenentur ipsi dicto Domino Episcopo, & ejus successoribus respondere hinc ad decem annos proxime venientes, promittens ipse Dominus Episcopus dicto sindico recipienti, & stipulanti nomine quo supra, prædictam concessionem gratam, ratam, & firmam habere, & non contrafacere, vel venire per se, vel successores suos, sed ipsam concessionem ab omni homine, universitate, & collegio legitime defendere & expedire, nullamque dationem, obligationem, vel contractum de dictis conditionibus, directis, fodris, & fictis, vel prædictorum occasione facere, vel fecisse, cujus prætextu dicta concessio infrangatur, vel infringi possit quoquo modo, vel quominus idem sindicus nomine prædicto, & omnes, & singuli de dicta communitate 30 tam in communi, quam in singulari uti, & frui valeant dictis directis, & fodris, fictis, & conditionibus, prout & sicut eis placuerit, & visum fuerit expedire hinc ad terminum supradictum. Versa vice prædictus sindicus sindicario nomine quo supra promisit, & convenit dicto domino Episcopo recipienti, & stipulanti suo, & successorum suorum nomine dare, & solvere quolibet anno dictorum annorum decem nomine fictus, redditus, & proventus dictarum conditionum, dictorumque directorum, fodrorum, & fictuum libras centum & decem denario- 40 rum bonorum Januensium, medietatem videlicet dictarum librarum centum in cal. januarii, reliquam vero medietatem in festo Resurrectionis proxime subsequenti, in fine quoque dicti termini prædictas conditiones, fodra, fictus, & redditus consignare, & dimittere in eo statu, quo nunc sunt, vel meliori ipsi domino Episcopo Aquensi, & ejus successoribus suis, quæ omnia, & singula promiserunt vicissim una pars alteri ad invicem solemnibus stipulationibus intervenientibus hinc inde firma, grata, & rata habere, & tenere, & non contrafacere, vel venire per se, vel alium quacumque de causa, vel 50 ratione de jure, vel de facto sub pœna librarum 25.